—Rarissimo — não mencionado em Borba de Moraes, nem em Blake.

ILLUSTRISSIMO,

ATQUE

EXCELLENTISSIMO

DOMINO

D. PETRO JOSEPH

ANTONIO MENESIO

MARIALVÆ MARCHIONI,

FIDELISSIMÆ MAJESTATIS A CONSILIIS,
REGII COMITATUS EQUESTRIS
PRÆFECTO MAXIMO,
AULÆ REGIÆ CUBICULARIO,
RERUM AD BELLUM PERTINENTIUM
CONSILIARIO,
&c. &c. &c.

PATRONO SUO BENEFICENTISSIMO,
OB MULTA IN SE, SUOSQUE COLLATA BENEFICIA;
DEVOTO PECTORE

O.

VINCENTIUS JOSEPH FERREIRA CARDOZO
DA COSTA.

THESES
EX
JURISPRUDENTIA NATURALI,
SACRA, & CIVILI,
TUM ROMANA, TUM PATRIA;
NECNON
EX UTRIUSQUE HISTORIA;
QUAS
RRO REPETITIONIS ACTU
IN CONIMBRICENSI GYMNASIO SUBEUNDO
SUB AUSPICIIS
LONGE CLARISSIMI VIRI
D. D. EMMANUELIS
PEDROSO DE LIMA
REGALIS SANCTI PAULI COLLEGII RECTORIS, PRIMI
AB INSTAURATA ACADEMIA JURISPRUDENTIÆ
NATURALIS ET POLITICES PROFESSORIS,
NUNC JURIS CIVILIS PRIMARII ANTECESSORIS,
FACULTATIS DECANI,
ACADEMIÆ JUDICIS CANCELLARII CÆT.
SUSTINENDAS PROPONIT
VINCENTIUS JOSEPH FERREIRA
CARDOZO DA COSTA.
Integra die   hujus mensis.

INITIALI

DISSERTATIONI


EX

AMPLISSIMI JC. ORDINIS DECRETO

ARGUMENTUM PRÆBET

ULPIANI FRAGMENTUM

In Lege 33. *de Legibus Lib.* 1. *Digest.*



THESES
Ex Jure Naturali.

I.

UOD Romano Oratori placuit *nihil aliud esse violentam sui tuitionem prohibere, quam justitiam è mundo abripere* ipse asserere minime dubito; licitam inde sui defensionem esse deducitur, sive cum agressoris læsione, sive sine ea fiat. At Ciceroni adjicio, hanc sui tutelam licitam non modo, sed & plerumque præceptam.

Cum vero 1. sui defensionem nihilo habens, majus ac excellentius bonum vitæ præfert, veluti martyrium pro fide patiendo, vel pro patria, republica, exercitu se devovendo, tunc occidi potius, quam defendi licitum & virtuosum, jurique naturæ neutiquam adversum fateor. Si etiam 2. Princeps aggressor fuerit, tenetur invasus defensionem ommittere; id postulat reipublicæ commodum, cui utilior est vita Principis licet sceleratissimi, quam civis probi, ac innocentis.

Nec interest, an quis in nos sine culpa, ac dolo impetum faciat: qua de causa insania agitatum, & errantem, similesque alios, cum nobis exitium intentant, defensionis causa trucidare licet. At vero hæc omnia moderamine inculpatæ tutelæ servato tantum permittuntur.

II.

Hactenus de vitæ tutamine. Cum vero membrorum nostrorum integritatem ita tenero nobis sensu natura commendet, ut non possimus non omnibus modis illam protegere, id ipsum, quod de defensione vitæ diximus, etiam ad membrorum tuendam integritatem

tem concedendum ſuſpicamur, videlicet eum, qui periculum illis molitur, ſi aliter effugi nequeat, occidi recte poſſe.

Pudicitia item noſtra defendi cum occiſione alterius poteſt, quamvis contrarium placeat Thomaſio, Budeo, aliis. Quid pro rebus noſtris? Violenta defenſione tunc uti licet, ſi re, quam nobis abripiunt, aliter carendum foret: quod inter illos, qui libertate naturali degunt, contingere arbitror, ſimul ac rem ipſam ſubripere contendunt, idque aliter vitare non poſſumus: aſt in civitatibus tunc, dummodo nulla rem recuperandi alia ſpes ſit, veluti cum fur in judicium adduci nequit.

Libertatis etiam aggreſſorem jure non repugnante interimi, ſi aliter in ſervitutem invaſus deducendus foret, præeunte Cl. de Real defendendum proponimus.

III.

Quidquid veterum quamplurimi, Stoicæque Philoſophiæ ſectatores præſertim de propricidii laude conſcribant, eos quibus vel conſcientia criminis, vel calamitatum, per quas excruciantur, magnitudo, vel diræ & ignominioſæ mortis timor, vel quid aliud tam truculentum conſilium extorquet, in legem naturalem graviter peccare exiſtimo.

Suicidii quoque reos illos arbitror, qui ſtudio, intolerabilique labore ſeſe frangunt, qui luxu, ac libidine vires imminuunt, qui valetudinem parum curant, qui denique ſine neceſſitate manifeſtiſſimis ſe periculis objiciunt; quid enim intereſt, an veneno, gladio, labore, aut voluptatibus quis ſibi mortem acceleret? conciſcat?

IV.

Jus publicum univerſale, quod ſtatum publicum in quavis civitate dirigit, nullum exiſtere arbitrantur præcipue, qui cum Hobeſio ad abſolutiſſimam adſcribunt Imperanti

ranti

ranti poteſtatem , ipſum naturalibus legibus abſolventes. Ego contra ipſos præeunte Cl. Juſt. Hening Bohem. inſurgam.

Quibus hoc jus differat a naturali, gentium, civili, publico particulari, ac politica interroganti reſpondebimus.

Hujus doctrinæ præſtantiam, ac neceſſitatem, nullamque Regibus, Magiſtratibus, Jureconſultis, Civibusque bene moratis omnibus digniorem inveniri poſſe demonſtrabimus.

Subſidia tandem, quæ juri ipſi comparando inſerviunt, referemus.

V.

Cum re ipſa docente cognoſcamus florentibus literis florere Reſpublicas, ipſaſque extincto literarum lumine paulatim velut conſeneſcere, nemo non videt, Principi, qui Reipublicæ proſperitatem, ac ſalutem quærere tenetur, jus circa Civium ſtudia competere.

Hinc 1. ad Ipſum ingeniorum dilectus pertinet, vi cujus, præcognita cujuſque indole, arcere alios a certo ſtudiorum genere poteſt, alios ad illud accire, cui aptiſſimi ipſi videntur. 2. Univerſitates, Scholas, aliaſque literarum ſocietates inſtituere, eaſque, ſi quid vitii ceperint, inſtaurare: ibi 3. Doctores, Magiſtroſque creare, libros, doctrinas, atque modum, quo doceantur, præſcribere: 4. ſtipendia, ac præmia literarum cultoribus conſtituere: 5. impedimenta, quæ ſtudiis obſtant, removere: 6. Civium profectus explorare: 7. literaria itinera dirigire, & id genus alia.

VI.

Si dubia regni hæreditarii ſucceſſio fuerit & inter duos, pluresve circa ſucceſſionem controverſia oriatur, illius judicem alii cum Hubero arma conſtituunt, alii cum Gronovio viventem Regem, alii alios: ego vero

populum Cl. de Real & Jo. Barbeirac vestigiis insistens : modo de regno libera voluntate populi delato quæstio sit, ac neuter letigantium jam imperium occupaverit, subditosque in verba sua jurare coegerit; tunc enim, si in arbitros consentire nollint, illorumque arbitrio obtemperare, solummodo penes Deum vel arma judicium erit. Erit etiam penes viventem Regem, cum ipse primus sit, qui regnum victoriæ jure possidet ; si enim de successione regni leges posteris præscribere potest, cur controversiam circa illam nascituram non derimere ?

VII.

Quamquam nec Hobesio consentiam, naturalem hominis statum esse bellum omnium in omnes, neque Thomasio ex pace, belloque confusum, ita tamen ut ad bellum magis inclinet, afferenti; attamen mihi suadeo, bellare nonnunquam licitum esse.

Ecquidem bellum justum existimo ob læsionem juris nostri perfecti, quod si contra lædentem defendimus, defensivum, si, qui illud non præstat, præstare obstrigimus, bellum gerimus offensivum.

Non tamen justæ belli causæ sunt 1. vicinæ potentiæ metus 2. sola imperii utilitas : 3. juris imperfecti denegatio ; ac etiam 4. matrimoniorum licet Principi facta, modo eorum nulla necessitas sit : 5. sola punitio scelerum erga Deum, aut erga se, aut erga tertium commissorum : 6. religionis propagandæ studium : 7. inventio regionis : 8. amor mutandæ sedis : 9. hominum stoliditas : 10. Pontificia donatio : ac 11. denique ipsa læsio, si lædens satisfactionem præbere paratus sit.

VIII.

Jus belli proprium Imperantis est ; nec Magistratibus, quiqui illi sint, competit, nisi ex consensu Principis vel expresso, vel tacito, quando periculum ita ur-

urget , ut tempus eum consuli , non ferat : utroque tamen casu summi Imperantis jure non Magistratus fieri bellum existimandum.

Ex hoc jure belli plura alia fluunt ad Principem ipsum spectantia : videlicet jura 1. armamentaria publica constituendi : 2. legendi , & conducendi milites etiam invitos ac privilegiatos , veluti Magistros , Doctores , ac Religionis Ministros si salus id exigat Reipublicæ : 3. metationes præscribendi : 4. munimenta , classes scilicet, & arces quocumque in loco , ipsismet sacrosanctis templis , extruendi , si necessitas postulaverit : 5. excubias civibus , quovis demum honoris gradu fulgeant , imperandi : 6. milites hosti etiam cum summo periculo opponendi : alia , quæ interroganti exponam.

IX.

Hostis hostem juste occidet : non tantum quod id impune fiat , ut Grotius credidit , sed quod licitum sit, si res aliter componi , & pax obtineri nequeat.

Eos itaque trucidare licet , qui aut jus suum defendentibus , aut persequentibus resistunt , quin intersit , bona , malave fide id faciant , coacti , an volentes. Injuria tamen interficiuntur 1. illi , quorum vel sexus vel ætas , vel vitæ genus ab armis abhorret , nisi id indirecte , & extra agentis propositum fiat , aut si officium deserentes arma sumant , 2. bello capti. 3. dediti etiam sine conditione : 4. dedi volentes ab hoste tamen non recepti. Adjicio nec terrorem , nec pertinacem defensionem , nec talionem sufficientem causam esse hos occidendi.

Nec inspiciendum an solo proprio , an hostis , an nullius , hostes occidamus : ubique enim lædentem interficere licet , si solum amici excipiamus , non ob hostis personam , sed ob privilegium territorii amici , quod violare nefas est.

Arma etiam ad hostes interficiendos omnia sunt permissa;

missa ; nec prohibemur ad id spicula veneno inficere , percussores nulla fide ei , adversus quem jubentur , obstrictos mittere , & alia hujusmodi peragere, quamvis & prudentiæ , & humanitatis regulæ ab iis abstinere jubeant.



THESES

Ex Juris Romani Patriique Historia.

I.

INitio civitatis Romanus populus nullo scripto jure , sed consuetudine ac moribus,quos ex Albania duxerat, regebatur : quidquid tamen ad illos mores componi non poterat , Reges ex arbitrio moderabantur , quandoquidem , quid fieri vellent , edictis propositis , aut per præconem publicatis denunciantes.

Postea Leges tulerunt ipsi Reges , Tarquino Superbo excepto , quas omnes , non sacras tantum , ut Bachio , aliisque videtur , in unum volumen congessit Sextus Papirius , quem , temporibus licet Tarquini Superbi vixisset , suam tamen collectionem expulsis Regibus ondinavisse defendam.

Sermo nobis erit de quibusdam iis Legibus ; Romuli scilicet de jure patronatus , de abstinentia mulierum , de patria potestate , de expositione infantium , de pudicitia fæminarum : Numæ Pompilii de funeribus , de piscibus squamosis , de sepultura fulguriti , de vino ex imputata vite in sacrificiis non utendo , ac omnium celebriore de pellice aram Junonis tangente : Tulli Hostilii de tergeminis , de perduellione : Anci Marcii de jure Feciali : Tarquini Prisci de regiis insignibus : Servii Tullii de libertinorum civitate , de civium libertate , de liberis parentes verberantibus.

II.

II.

Exactis Regibus, ipſorum etiam leges exoleverunt, non illæ dumtaxat, quæ ad mores regios, regnique ſtatum ſpectabant, prout ſentiunt Eberlinus, Sigonius, alii; ſed omnes, ut Pomponius refert: quod arbitror contigiſſe non Terentilla, ut Goveanus, non Tribunicia Junii Bruti, ut Hottomanus, non aliis legibus, ut plerique exiſtimant; ſed deſuetudine, cujus cauſa odium in Reges ipſos graviſſimum. Inde tamen Romanos ipſis regiis ſanctionibus tanquam moribus & jure non ſcripto uſos fuiſſe ſuſtinebo: quæ vero illis moribus non erant difinita Conſules edictis, ſed raro ſtabiliebant, plerumque ex arbitrio moderebantur.

Hanc juriſprudentiæ formam Roma non viginti, ut in corrupto Pomponii loco legitur, ſed ſexaginta annis paſſa fuit; quo tempore leges pauciſſimæ fuerunt latæ, has inter cum celeberrima ſit lex Ateria Tarpeia, illius tum hiſtoricam interpretationem, tum veram cauſam, & ſententiam aperiemus.

III.

Duodecim Tab. leges ſubſequuntur, in quarum prolixa hiſtoria patefaciam 1. quæ illis conſcribendis cauſa fuiſſet: 2. tres, non decem, legatos ea de cauſa fuiſſe in Græciam miſſos: 3. Decemvirorum creationem; ipſarum legum conſtructionem, publicationem: 4. illas tabulis primo querneis, eboreis poſtea, ac tandem æneis fuiſſe ſcriptas, non tamen carminibus, ut ex Cicerone quidam perperam deducunt: 5. fontes proximas ipſis fuiſſe Solonis, aliorumque Græciæ legislatorum, non tamen Licurgi, ſanctiones: ac præcipue Regum leges patrioſque mores: 6. Romanos a Thomaſio immerito increpari, quod perigrinas leges petiverunt.

IV.

Cum Edicto Perpetuo ordinato jurisprudentiæ facies non parum fuisset immutata, de illo verba faciam, & defendam 1. illud nec Antonini, nec Didii Juliani, sed Hadriani auspiciis conditum fuisse: 2. a Salvio Juliano ordinatum: 3. Juliani operam in eo præcipue constitisse, ut jus, quod varie inconditeque a Prætoribus adhuc promebatur, in ordinem componeret; illum tamen addidisse quædam, quæ a Prætoribus, qui illum præcesserunt, non fuerunt constituta; quædam ommisisse, quæ ipsi Edictis stabiliverant; quædam immutasse, ac tandem suæ sectæ inservientem, Proculeanorum placitis posthabitis, Sabinianorum sententias Edicto inseruisse: 4. nulla ratione Julianum, quod hæc fecerat, ab aliquibus criminari: 5. genuinam Edicti Perpetui ætatem, publicationem, confirmationem, auctoritatem: 6. a vero aberrare, qui id opus cum Digestorum opere a Juliano, aut Triboniano conscripto confundunt: 7. de ipso abolendo Severum Imperatorem cogitavisse, irritos tamen fuisse illius labores, 8. illud sectarum studio finem non attulisse, licet earum calorem ex eo tempore sensim refrixisse facile largiamur.

V.

De iis, quæ immerito in Digestis reprehenduntur, assero 1. nequaquam objurgandum esse Tribonianum, quod, neglectis vetustis illis, qui Rempublicam liberam viderant, J.Ctis, ex recentioribus Pandectas componeret. 2. Falso argui ipsum, quod, absoluta juris collectione, omnes antiquas leges, Edicta Prætorum, Senatus Consulta, Jctorumque libros suprimi, & aboleri curaverit: 3. nulla de causa a plerisque criminari, quod ibidem superstitionis paganæ vestigia deprehendere sibi videntur. 4. Licet geminationes, ac repetitiones in Digestis ocurrant, cum hoc parum incom-

modi

modi jurisprudentiæ afferat, defendam Tribonianum, quidquid in ipſum ganiant Pard. Prateius, Rad Fornerius alii. 5. Ad emblemata quod attinet, ea in Digeſtis, ac Codice reperiri cum Wiſſenbachio, licet non eodem numero, convenio. Ab eo tamen recedo, dum inſcriptiones quaſdam titulorum eſſe ab ipſo intermiſſas, dum in Inſtitutionibus emblemata inveniri, dum in illis Digeſtorum, ac Codicis emblematibus graviſſimum admiſiſſe flagitium Compilatores, contendit.

VI.

At Legum Romanarum compilatores merito reprehenduntur 1. quod in earum corpore loca quædam inter ſe contraria, nulloque fœdere ſocianda relinquerunt. (*a*) 2. Quod leges quaſdam a ſua propria ſede divulſerint, quarum exempla etiam referemus, omniumque loco erit l. 3. D. de Rer. Divis. 3. Quia in titulorum diſpoſitione quoſdam nulla ratione aliis adjunxerint. 4. Dum veterum Ictorum fragmenta ita quandoquidem reſecaverunt, ut illorum intelligentiam nemo capiat, & hoc pacto tot cruces, ac ænigmata Jctis imprudenter poſuerint.

VII.

De Authenticarum ex Novellis Juſtinianeis excerptarum, quæque in Codice reperiuntur, auctore, tres ſunt eruditorum ſententiæ. Alii Irnerio omnes adſcribunt, alii nullas alii nec omnes, nec nullas, cui ſententiæ & Incomparabilis Bynkerſoekius & ipſe libenter ſubſcribo.

VIII.

(*a*) Exempla l. 22. D. de pignor. & hipoth. & l. 41. D. de pignorat. action. l. 13. §. 1. D. de public. judic. & l. 3. Cod. de accuſat. : l. 23. §. 3. D. de reivindic. & l. 9. §. 2. D. de adquir. rer. domin.

VIII.

Breviarii Alariciani, & Codicis Wiſigothorum hiſtoriam dabimus oſtendentes præcipue 1. Alariciani Breviarii auctorem non Gojaricum Comitem, ſed Anianum fuiſſe 2. quæ illius fontes, quo anno publicatum, quæ auctoritas, quæ interna forma, qui uſus: 3. Codicem Weſigothorum Luſitaniæ primorum noſtrorum Regum temporibus uſum habuiſſe.

IX.

Bartholinam ſcholam a Joanne de Aregas primo in foro, poſtea a Præceptore Navarro in Conimbricenſi Academia ſtabelitam in Luſitania noſtra ad Joſeph. I. tempora viguiſſe, indeque peſſimam juris ſtudii rationem, quæ per illa tempora in Academiam & forum, invitis cordatioribus, irrepſit, ortum duxiſſe, demonſtrabimus.

Præcipuos Luſitanos juris auctores, qui per ſeculum XVI. & XVII. floruerunt adnumerabo, illorumque ſcripta, ac merita referam.



THESES
Ex Jure Publico Eccleſiaſtico Univerſali & Luſitano.

I.

EOrum opinionem, qui Eccleſiam ſocietati, ſeu collegio æquali in Republica ſine imperio exiſtenti accenſent, refutabimus: eſt namque illa ſocietas inæqualis ex Imperantibus, & ſubditis compoſita.

posita.

Hujusce societatis sacrum Principatum, seu Imperantium ordinem Clerici tenent, quos inter Hierarchiam seu certam subordinationem in diversis gradibus majoris excellentiæ, dignitatis, & potestatis fundatam dari, quidquid novatores, præeunte Luthero, velint, nemo sanæ mentis haud affirmabit.

Quapropter quam maxime hallucinantur, qui cum Hobesio, & Christiano Thomasio jus regendi, gubernandique Ecclesiam cujuslibet populi capiti tribuunt, potestatemque Sacram cum politica ex natura ac indole summi Imperii indivulso cohærere nexu contendunt.

II.

Aequalem Apostolis omnibus datam in regenda Ecclesia a Christo illius Fundatore potestatem fuisse & sacræ Scripturæ loca, & Patrum testimonia, & vetus Ecclesia disciplina testantur.

Clavium etiam potestas non Petro specialiter a Christo data, sed Universitati Ecclesiæ, ut illa per suos Ministros, Petro omnium primo constituto, exerceatur.

Formam igitur regiminis Ecclesiastici esse Monarchiæ oppositam defendam ipsius Christi institutione inspecta.

III.

Nec quisquam idcirco sibi persuadeat nos Primatum ordinis, ac jurisdictionis in Ecclesia non agnoscere; Catholicum hoc dogma amplectimur, contrariorumque argumenta facile diluemus.

Hunc Ecclesiæ Primatum in Romanos Episcopos translatum, semperque in eis ab Ecclesia agnitum fuisse Conciliorum acta, gesta eorumdem Pontificum, scripta, & elogia Patrum tam Orientis, quam Occidentis indicant.

Hoc

Hoc ut negarent ſæculi XVI. ſcriptores quidam, Petrum Romanæ Urbis, vel ſaltem ejus Epiſcopum nunquam fuiſſe tradiderunt: ego contra ipſos declamabo, Petrumque Romæ habitaſſe, & ibi Epiſcopatum geſſiſſe oſtendam.

A quo autem Romanæ Sedi Primatus creditus? Non a Chriſto, ſed a Petro, vel ab Eccleſia defendam: ergo ad alium Epiſcopum ab ipſa difinitum Petri ſuceſſorem v. g. Bracharenſem, Toletanum juſtis de cauſis non inficior transferri poſſe.

IV,

Quæ Romanæ aulæ Theologi Pontifici attribuunt, ſerio animo expendentes aſſerimus 1. in difiniendis fidei controverſiis fallibile illius judicium: jus ipſi nequaquam eſſe leges condendi in cauſis fidei, & diſciplinæ univerſam Eccleſiam obligantes, cum ipſa iiſdem non aſſentitur.

V.

An necne Epiſcopi immediate a Deo poteſtatem ſuam habeant, quæſtio fuit inter Tridentini Synodi Patres: affirmativam ſententiam ſequuti ſunt Hiſpani, Gallique Præſules, Itali contrariam, eos aſſerentes non Chriſti, ſed Summi Pontificis Vicarios eſſe. Ego indeciſam ibidem quæſtionem juxta Hiſpanorum Gallorumque judicium arbitror, decidendam.

[illegible] Leo [illegible] Epist. 89 ita — Hujus muneris sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium voluit pertingere, ut in beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocarit, et ab ipso quasi quodam capite dona sua, velut in corpus omne diffunderet.

VI.

Epiſcoporum poteſtas jure divino nullis erat per totum orbem limitibue circumſcripta, hoc autem partito, limitibusqus unicuique ad regendum aſſignatis, intra ipſos abſoluta permanſit:

Idcirco ibidem 1. Legibus etiam Concilii generalis, &

& Pontificis , si Ecclesia , aut fidelium necessitas postularet , solvere poterant : 2. dispensationes concedere , quæ postea Pontifex sibi reservavit : 3. omnium suæ Diœcesis beneficiorum collatio illis pertinebat : 4. nulli casus Pontifici reservati ibidem erant : & denique alia jura , quæ Romanus Episcopus nostris temporibus exercet , suo ipsis jure competebant.

VII.

Generalium Conciliorum auctoritatem in Ecclesia utilem non modo esse sed non raro necessariam defendam , quidquid plures in contrarium , ac præcipue infallibilitatis Pontificiæ fautores contendant.

Horum Conciliorum convocationem nulla Divina , aut Ecclesiastica lege Romano Episcopo pertinere Febronius asserit : ego illius ratione Primatus proprium esse existimo. Ipse tamen sustineo , illum convocationis modum non ita esse necessarium , ut , si ommittatur , nullum habeatur Concilium.

Etiam jus in Concilio Universali præsidendi aut per se , aut per Legatos Pontificis proprium , in dubium Febronius post Gibertum revocavit. Ego utrumque nulla solida niti ratione suadeor.

Fagnani doctrinam , cujus vestigiis institerunt alii , Episcopos scilicet in Conciliis esse tantum Consultores Papæ , non conjudices pro viribus refutabimus.

VIII.

Infallibile Generalium Conciliorum in rebus fidei , & morum ad salutem æternam pertinentium judicium esse ex sacris literis clarius est , quam ut ab ullo , qui illis credat , inficiari possit.

An ipsa sufficienter promulgata auctoritatem , vimque suam consequantur antea , quam a Sede Romana confirmentur, vehementer disceptatur. Ego Conciliorum

gene-

generalium decreta confirmatione Pontificia non indigere propugnabo.

Ea Romanum etiam Pontificem adſtringunt, qui Œcumenico Concilio inferior eſt, in illoque judicari damnari, deponique poteſt: idcirco & legitime a ſententiis Pontificiis ad illud ſupremum ſuprema auctoritate Eccleſiæ Tribunal provocatur.

IX.

Noſtri Regni Principibus Epiſcoporum nominatio ad Diœceſes ſuæ ditioni ſubjectas pertinet : idque non tam ex Pontificis gratia, quam jure ſibi aliis de cauſis proprio.

Epiſcoporum confirmatio duodecim prioribus Eccleſiæ ſæculis in Luſitania noſtra ad Metropolitanos pertinuit. Hos in Synodis Provincialibus ordinari fugit neminem.

Iſtam confirmationem Cancellariæ Regulæ Romano poſtea Epiſcopo reſervarunt. De earum reſervationum, juſtitia & effectu ſermonem, ſi nos interrogarint, prolixum inſtituemus hoc præcipue demonſtrantes, illam confirmationem, urgente neceſſitate iterum ad Metropolitanos, & Concilia Provincialia pertinere.



THESES
Ex Jure Romano.

I.

TRansfactio bona fide facta ob læsionem, quæque illa sit, neutiquam rescinditur, contrarium licet Alciato, Pinello, aliisque placeat.

Alia non minoris momenti quæstio est, an transfactio de controversiis ex testamento ortis nondum inspectis ipsius tabulis recte fiat: ego negativam opinionem tuebor.

II.

Inofficiosi testamenti quærellæ origo nec a Lege Glicia, nec a Principum constitutionibus, nec ab Edicto Prætoris, nec a Judicio Cemtumvirali, sed a moribus, & auctoritate Prudentum est ducenda.

Hanc inofficiosi quærellam præparatorium ad hæreditatis petitionem esse judicium, sicut actio ad exhibendum ad reivindicationem, plerique Interpretes credunt. Ego petitionis hæreditatis speciem esse cum Hubero, Schultingio, aliisque autumo.

III.

Rescisso a patre testamento filii per quærellam etiam post Nov. 118. cap. 2. cum eo una frater ad defuncti hæreditatem minime est admittendus, etsi contrarium teneant Vinius, Bachovius, Thomasius, Strykius alii.

Similiter obtinente fratre quærellam ipsam, liberi fratrum non pariter succedunt.

IV.

IV.

Servitutis natura, purisque regulis inspectis ipsam solius voluptatis causa imponi non posse, nequidem auctis Romanorum deliciis adversus Cl. Gerardum Noodtium defendam.

Proprietario in prædio usufructuario eam, quæ usumfructum afficit, servitutem, nequidem consentiente usufructuario, constituere licet.

Servitutum realium non ea natura est, ut aliquid quis faciat, sed ut aliquid patiatur, aut non faciat. Nec ab hac regula oneris ferendi, altius tollendi, aliamve servitutem excipio.

V.

Senatusconsulti Velleiani originem nobis aliquo inquirente, anno 763. L. Silano & Velleio Tutore Consulibus factum, etsi in diversa eant cum Antonio Schultingio, & Schiltero non pauci, verosimilius affirmabimus.

Hoc Scto non fœminis prohibetur, ut cum Averanio fere omnes arbitrantur, ex intercessione sua obligari, sed permittitur non obstringi, si nollint, in casibus, ubi Sctum obtinet.

VI.

Vulgaris distinctio procuratoris universorum bonorum in simplicem, & cum libera ex ratione juris defendi nequit.

Aliam etiam vulgarem divisionem ususfructus in formalem & casualem rejiciemus.

VII.

Negotiorum gestorem tantum pro culpa levi teneri cum Rittershusio quamplurimi Interpretes docent: ego vero ab illo, qui proinde ad levissimam culpam vulgo te-

netur

netur, exactiſſimam diligentiam præſtandam eſſe judico.

Creditorem ratione pignoris accepti tantum de dolo, culpa lata, & levi teneri, Cl. Gerard. Noodtio duce, defendam.

VIII.

Tutelam pactitiam, ſeu conventionalem in jure Romano præſidium reperire ſingularibus diſſertationibus conati ſunt aliqui demonſtrare: nos vero id tutelæ genus Romanis fuiſſe incognitum arbitramur.

Pater filio etiam exhæredato tutorem dare poteſt; Aſt mater nonniſi hæredi inſtituto.

Aediles Municipales a tutelis non fuiſſe immunes Balduinus, Feltmannus, Vinius, aliique ſuadent; nos Viris Cl. Cujacio, ac Petro de Toullieu, qui a tutelæ oneribus ipſos excuſari poſſe exiſtimant, aſſentiri minime dubitamus.

IX.

Juris accreſcendi, quo in hæreditatibus, & legatis utitur, originem ad Leg. XII. Tab. quidam referunt, alii ad Leg. Juliam & Pappiam. Nos has ſententias erroneas eſſe opinamur, probabiliusque exiſtimamus, jus illud primum ex Interpretatione, Reſponſiſque Prudentum poſt XII. Tab., & ante Leg. Juliam & Pappiam fuiſſe introductum, rebus deinde judicatis, ſeu ſequuta Prudentum auctoritatem Diſputatione Fori diuturno uſu confirmatum conſtitiſſe.

Cum quiſque conjunctorum re ex ipſis teſtatoris verbis ſolidum ab initio habeat, quoties conjunctus non concurrit, ſolidum ad alium indubie pertinet. An vero, dum alter admitti ſperatur, poſſit alius interim totum petere, an potius partem dumtaxat, quam altero concurrente haberet, diverſæ ſunt ſententiæ: meo judicio partem dumtaxat illi petere licet.

De-

Deinde ad libitum interrogantium Synthetice exponam ex Digeſtis.

LIb. 7. tit. 3. quand. dies uſusfr. legat. ced.
Lib. 7. tit. 4. quib. mod. uſusfr. vel uſus amitt.
Lib. 8. tit. 6. quemadmod. ſervit. amitt.
Lib. 26. tit. 3. de Confirm. tut.
Lib. 27. titi 2. ubi pupill. educar.
Lib. 28. tit. 7. de Condit. inſtitut.
Lib. 33. tit. 3. de Servit. legat.
Lib. 33. tit. 5. de Option. vel electiõn. legat.
Lib. 34. tit. 4. de Adimend. vel transf. legat.



THESES

Ex Jure Civili Patrio tum Publico, tum Privato.

I.

NOſtri Imperii forma eſt Monarchica, abſoluta; hæreditaria cognatica.

Cum tamen hæreditarium & cognaticum noſtrum Imperium eſſe ex Comitiis Lamecenſibus maxime deducatur, hæc extitiſſe demonſtrabo.

II.

Teſtium rogationem in jure civili inter teſtamenti ſolemnitates ad ipſius auctoritatem neceſſariam jure noſtro etiam deſiderari, Reinoſus, Netto, Gama, aliique tuentur. Ego ab hac opinione diſſentior. Teſtamentum vero militis excipio, quo rogationem arbitror neceſſariam.

Ord.

Ord. lib. 4 tit. 80. §. 1. pro forma teſtamenti clauſi requirit, ut illud coram teſtibus Tabellioni tradat teſtator, qui poſtea ab ipſo ſciſcitatus, an id ſuum teſtamentum ſit, reſpondeat, ſuum eſſe. At ſi teſtator teſtamentum coram teſtibus notario illud approbaturo tradens, ſuum eſſe, quod tradit teſtamentum, dixerit, quod firmum ratumque eſſe vult, ſatis erit, ut illud ratam habeat auctoritatem, licet tabellarius percunctationem, illo accepto, ommiſirit? Pro hujuſce teſtamenti nullitate aliquando noſtri Regni Senatores judicarunt, ac optime judicaviſſe Portugal, aliique exiſtimant. Ego vero contrarium.

III.

Quod jus in bonis majoratus illius poſſeſtor habeat, non inter DD. convenit, aliis uſumfructum, dominium utile aliis illi tribuentibus. Ego plenum dominium illi pertinere ſuadeor.

In majoratuum juriſprudentia celeberrima noſtro in Regno eſt quædam ſemper deſideratiſſimi Principis Joſeph I. Lex 2. Cal. Auguſti 1770. lata, quæ novam formam majoratibus dedit, ac veterem, qua illi regebantur, juriſprudentiam non uno capite abrogavit. Hujuſce legis doctrinam elucidabimus.

IV.

Reſciſo Teſtamento ab ipſo teſtatore emphytheuſis nominatio in eo facta evaneſcit. Num autem idem dicendum, cum teſtamentum ex cauſa exhæredationis irritum ſit, controverſia non levis eſt, in qua noſtri Interpretes varie ſentiunt, Caldas & Thoma Valaſce hinc, illinc Alvaro Valaſco, & Pinheiro præeuntibus. Nos vero nominationem in ſimili teſtamento factam a noſtro jure minime improbari exiſtimamus.

Quid ſi teſtamentum ex præteritione reſcindatur? tunc ſi præteritio non fuerit ſcienter, ac ex animo facta nominationem irritam fieri mea eſt ſententia. Du-

Dubium etiam fuit, magnaque contentione in Supremo Lusitaniæ Senatu, prout Gama refert, disceptatum, an nominatio in testamento facta, rupto ipso agnatione posthumi, rescindatur? affirmative respondeo.

V.

Ecclesiasticis ordinibus a nostris Principibus prohibetur immobilia ulla bona tum lucrativo titulo, cum oneroso, absque speciali ipsorum facultate acquirere.

Hujusce legis justitiam non a consuetudine, cujus Ord. meminit lib. 2. tit. 18. in pr., non ab Ecclesiasticorum consensu in Concordatis præstito, sed a legitima Principis ad illam ferendam auctoritate, ex status œconomia, ac ipsius Ecclesiæ utilitate esse ducendam demonstrabo.

Istius juris historiam tam in nostro Regno, quam in Romano Imperio dabimus.

VI.

Filii naturales plebei patris hæredes sunt simul cum legitimis, &, si hi desint, totam hæreditatem capiunt, tertia tantum excepta, cujus dispositio patri libera erit: Ordin lib. 4. Tit. 92. in pr.

Hanc legem Interpretum nostrorum quidam inæquissimam arbitrantur, ita ut Alvarus Valascus in hæc prorumpit illam respiciens: *Semper optavi, ut præfata lex quasi non minimum Reipublicæ scandalum generans a Rege nostro invictissimo corrigeretur.* Ego vero eam optimis rationibus stabiliri contendam.

Illius Ord. verba *ou tiver hua so manceba* Phæbo suadent, quod siquis aliam præter unam concubinam habeat, tunc filium non paternas opes consequi. Nos contrarium sustinebimus.

Consanguineis etiam paternis filios naturales plebei succedere, quibusdam licet invitis, tuebimur.

VII.

VII.

Ord., prout antea asseruimus naturalibus plebei filiis ipsius hæreditatem tribuuit. Quid si tempore conceptionis pater plebeus erat, & nativitatis tempore nobilis? Nos nativitatem tantum esse considerandam arbitramur.

Filius Clerici, qui tempore conceptionis minores ordines habebat, at nativitatis jam in Sacris erat constitutus patri succedet necne? Negative cum Alvaro Valasco respondebo.

VIII-

Quæ sit habenda ratio in Regiæ Coronæ bonorum successione, Eduardus Princeps noster Lege lata 3. Non. Aprilis anno 1434.secundum parentis sui mentem definivit.

Istius legis historiam ac causam dabimus, justitiamque tuebimur, præcipue adversus Emmanuelem Faria de Souza, qui Joañem de Aregas ob id totis viribus carpit: quod eam Eduardo suaduit.

Ejusdem Legis sanctiones, quas Ord. exponit lib. 2. Tit. 35. a pr. ad §. 9. elucidabimus.

Ex dubiis etiam ex illa Lege ortis, ab Ipsoque Eduardo postea lege pridie Kal. Julii lata anno 1434. sublatis, exponam, quæ in Ord. eod. Tit. §. §. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. continentur.

IX.

Pro inquirentium libito exponemus Leg. de 4. de Julho de 1768. sobre a Consolidaçaõ dos prazos Ecclesiasticos.

Leg. de 19. de Setembro de 1761. sobre os Escravos.

Leg. de 16. de Janeiro de 1773. sobre o mesmo fim.

Leg. de 8. de Janeiro de 1783. a favor do Comercio das fazendas que vaõ para Goa.

Leg de 6. de Outubro de 1784. sobre os Esponsaes.

Syn-

Synthetice etiam elucidabo.

Ord. lib. 2. tit. 16.
Ord. eod. tit. 28.
Ord. eod. tit. 29.
Ord. eod. tit. 37.
Ord. lib. 4. tit. 7.
Ord. eod. tit. 24.
Ord. eod. tit. 39.
Ord. lib. 5. tit. 15.
Ord. eod. tit. 64.



EX SOLEMNIBUS ANALYTICIS Prælectionibus exponentur.

Ex Recitationibus Pomeridianis.

I.

L. Si quando 1. C. de naufrag.

II.

L. Si vindicari 20. C. de pœn.

III.

L. In Criminibus 1. §. Divus 17. D. de quæst.

L.

IV.

L. Si merces 25. §. qui fundum 1. D. locat.

Ex Prælectionibus vero Matutinis.

I.

L. Julianus 13. D. de action. emp. in pr.

II.

L. Duo ſunt 30. D. de teſtam. tut.

III.

L. Unum 24. D. qui teſtam. fac. poſſ.

IV.

L. Si mulier 11. D. ad SCtum Vell.

V.

L. Exemplo 7. C. de probat.

CONIMBRICÆ:
Ex Typograph. ACADEMICO-REGIA,
Anno Dñi M.DCCLXXXV.
Cum facultate Regiæ Curiæ Cenſoriæ.

